

CAPUT XI.

DECIMA CLAUSULA.

Ancum eis illicitis, & inhonestis sermones, sive tractatus habuerint.

639. **S**UB his verbis comprehenduntur etiam sermones inhonesti sine provocatione, nam hæc clausula est distincta à priori: *solicitare, vel provocare tenuerint*, & additur cum particula disjunctiva *aut*. Quod non esset verum, in id clausula hæc esset superflua, si solum comprehenderet sermones inhonestos cum provocatione. *Vide num. 617.*

QUÆRES I:

640. *Duo Confessarii ita se habuerunt: unus proxime ad confessionem arte in somnum induxit feminam, quam sopitam cognovit: alter feminam, qua confessionem petiit non sui arte, sed proprio morbo somno sopitam cognovit. An sint denunciandi?*

641. **S**ANCTIUS, & TRULLENCHI apud Leandrum *tract. 5. de penit. disp. 13. quest. 33.* affirmant de primo, negant de secundo, quia ille est verè sollicitator, & provocator, ille verò est tantum fornicator; Bullæ autem sunt editæ, non contra Confessarios fornicantes proximè ad confessionem, sed contra sollicitantes.

642. *Resp.* utrumque esse denunciandum. *Diana part. 10. tract. 4. ref. 43.* Leander *cit.* Primum, quia verè sollicitavit, non verbo, sed opere sceminam in confessione, aut proximè ad confessionem, dum arte eam tunc ad somnum induxit ad inhonestam. Secundum, quia licet propriè non sollicitavit, seu provocavit, habuit tamen cum ea contractum inhonestum, non verbo, sed opere, quod est plus; quodque cum sit principalior effectus inhonestus, eodem rigore prohibetur per Bullam Greg. & licet in neutro casu mulier peccaverit, in utroque casu Confessarius injuriam intulit Sacramento.

QUÆRES II:

643. *An Confessarius penitentem de pulchritudine laudans sit denunciandus?*

NEGAT FREITAS, apud Dianam *part. 4. tract. 5. ref. 18.* quia mulierem de pulchritudine laudare, non est sermones inhonestos habere.

Affirmant Diana *cit.* PEYR. BONAC. quia talis laudatio est graviter peccaminosa, nam est impertinens ad confessionem, & hujusmodi laudibus amantes solent mulieres trahere, & incitare ad amorem; unde non sunt verba honesta.

644. *Resp.* cum distinctione. Est denunciandus, si nullus appareat finis honestus talis laudis; quia tunc habet locum ratio secundæ sententiæ. Non est denunciandus, si finis honestus appareat: v. g. si mulier conquesta sit de adulterio mariti, & Confessarius addat: *tibi fecit injuriam, qua es juvenis pul-*

chra nimis, rubicunda, &c. tunc enim verba illa specificantur ad sine non turpi, & onus est de sollicitatione ad inhonestam.

Quod si præfata verba laudis proferantur à Confessario sine occasione, est denunciandus, quia tunc sunt impertinentia, & suspecta, *Diana part. 9. ref. 32.* qui in hoc sensu negat in *part. 4.* Idem tenent Tancr. *tom. 4. de penit. q. 12.* & Bord. *cit. cap. 23. q. 8. num. 59.* qui monet proinde mulieres, ut non sint sollicitæ ad denunciandum, quando verba possunt trahi in bonum sensum, sed consulant viros doctos, & timoratos, ne sine causa Confessarios infament, & in dubio se abstineant. Ita ille.

Et ego moneo Confessarios, ut à similibus laudibus, licet non ex turpi fine, omnino se abstineant, sintque prudentes, ac vigilantes in verbis, & nullo pacto in hujusmodi angustias se ponant. Nam confessionale non est locus laudandi mulieres, sed reprehendendi.

645. Illud certum est, Confessarium esse denunciandum, si dum audit confessionem servæ, laudet de pulchritudine dominam suam, rogando, ut id illi referat. *Salleles reg. 152. num. 118.* quia talis laus excusari non potest, cum tunc non alloquatur cum domina.

QUÆRES III:

CASUS DUODECIM.

646. 1. Confessarius dixit penitenti: *si essem secularis, tecum nuberem.*

2. *Memor esto mei, qui te ex corde diligo.*

3. *Expecta me hodie domi tue, quia habeo tecum loqui.*

4. *Hæc tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem involuntariam.*

5. Mulieri confiteri volenti dixit: *Nolo te audire in confessione, quia amore tui captus sum, ne tibi, & mihi aliquid mali contingat.*

6. Mulieri in confessione sollicitanti respondit: *Estne hic locus similia loquendi? Seu: Filia, hic non est locus de hac materia loquendi.*

7. Vel respondit eidem: *Deestne locus, aut tempus hæc loquendi?*

8. Suam concubinam objurgavit ex zelotypia, quod cum alio se immiscuerit.

9. Dixit: *Cur etiam mecum non es humana?*

10. Dixit: *Veniam in domum, & promitte mihi facere, quod voluero.*

11. Mulieri contenti desiderium libidinosum dixit: *De hoc hagias mecum post confessionem.*

12. Mulieri in confessione sapius graviter conquerenti de verbis turpibus sibi à quodam juvene dictis dixit: *Quid caput semper obtundis. Certe si alias, charus tibi dixisset, non quæsta esses.* An sint denunciandi?

In his, & similibus casibus, ut locum habeat difficultas, omnino supponendum est, hujusmodi actiones factas esse in confessione, aut proximè ad

confessionem immediatè ante, aut post, vel occasione, aut preterito confessionis, vel in Confessionario, aut cum simulatione confessionis, juxta septem capita denunciationis, ex *num. 606.* extra quæ si contingant, nullo pacto pariunt onus denunciationis. Hoc præmissis,

647. Ad primum, & secundum, negat Bord. *num. 54.* quia verba non important peccatum mortale, & solum explicant pudicum affectum, qui reperitur inter conjuges.

Resp. utrumque esse denunciandum. *Diana part. 9. tract. 9. ref. 32.* quia præfata verba sine aliqua occasione in confessione dicta, sunt impertinentia ad confessionem, & excitativa ad venenum, ac proinde inhonestæ; non minus quàm verba laudis sine aliqua occasione dicta ex *num. 645.*

648. Ad 3. resolutio pendet ex exitu tractatus in domo, nam si tractatus est inhonestus, juxta dicta in *num. 595.* Confessarius est denunciandus, quia sollicitatio, licet sit facta in domo post confessionem, dicitur tamen moraliter facta in confessione, quatenus est moraliter conjuncta cum verbis habitis in confessione per se ordinata ad tractatum inhonestum in domo, nam *animus ex facto etiam nullus, & sola attentatio declaratur.* L. *Legatum, §. fin. ff. de Alim. legat. & factum aliquid ipsum judicat.* L. *Cum probatio, ff. de Probat. Bord. in Man. Conf. sect. 25.* *Vide num. 593.*

649. Ad 4. resp. esse denunciandum Bord. *num. 54.* quia ille est sermo valde mentem penitentis conturbans in ordine venereo, ac proinde inhonestus, & multò magis, si aperiat delectationem, aut pollutionem voluntariam intra confessionem habitam. Non est autem denunciandus, si id aperiat mulieri extra confessionem, quia non habentur capita relata *num. 606.* Leander *tract. 5. de penit. disp. 13. quest. 14.*

650. Ad 5. negat Bord. *num. 55.* quia per ea verba potius colligitur detestatio sollicitationis, ob malum, quod sequeretur.

Resp. tamen, esse denunciandum. Trimarchus *disp. 3. sect. num. 33.* de *Sollicit.* quia per illa verba fit ostensio amoris venerei, & illa diffusio est vera inducitur, provocatio ad inhonestam callidè palliata timore mali.

651. Ad 6. resp. non esse denunciandum, nec esse casum sollicitationis, quia per verba illa Confessarius præcisè dissuadet mulierem à malo, & ei declarat reverentiam debitam loco.

652. Ad 7. resp. esse denunciandum; quia verba illa clarè suggerunt locum, & tempus mulieri, quo tractatum inhonestum habeat, adeoque sunt inhonestæ.

653. Ad 8. resp. cum distinctione: vel objurgatio est talis, ut judicio prudenti non faciat dignoscere, quòd procedat ex zelotypia: talis est, si sit modesta, & pura reprehensio medicinalis peccati, quæ regulariter Confessarii timorati, & prudentes uti lo-

lent; & tunc non est denunciandus, quia reprehendere peccata carnis est virtuosum, nec est novum, quòd Sacerdos inhonestus, & perditus, dum gerit rem peccatoris, sit tamen honestus, & vigilans, dum subit munus Ministri Christi. Neque obstat, si Confessarius reverà moveatur ex zelotypia, quia cum signa, & verba externa reprehensionis honestæ (ut supponimus) non faciant illam dignoscere, erit tantum zelotypia interna, & sollicitatio mente retenta, quæ non subjacet Bullis, & oneri denunciationis.

Vel objurgatio est talis, ut judicio prudenti faciat dignoscere, quòd procedat ex zelotypia: talis est, si excedat limites modestæ reprehensionis peccati: talis inquam est, si mulier confessa est peccata carnis commissa, tam cum alio, quàm cum ipso Confessario, & Confessarius eam objurgat solum de commissis cum alio. Aut reprehensio est ita ardens, ut addat minas, injurias, vel alia signa & verba, quæ zelotypiam ostendant: & tunc est denunciandus, quia talis actio est provocativa ad lasciviam, aut saltem est signum offensivum amoris lascivi.

Nec aliud (si attentè considerentur) intendunt Leander *cit. quest. 16.* dum affirmat, & Freitas apud Dianam *p. 4. tract. 5. ref. 34.* dum negat esse denunciandum, & Tancr. *infra quest. 23.* dum ait non censeri loqui turpia, nec sollicitare, nisi addat alia verba: v. g. *& me non vis*, aut quid simile.

654. Ad 9. 10. & 11. resp. esse denunciandum Tancr. *tom. 4. tract. 1. de penit. quest. 17.* quia sunt verba offensiva intentionis inhonestæ.

655. Ad 12. resp. Tancr. *cit. quest. 22.* quòd Confessarius sit imprudens, revocando in memoriam alterius amorem, ac non denunciandus; quia illa verba, nec sunt turpia, nec excitativa ad peccandum cum alio, sed de se objurgativa nimia affectationis mulieris.

QUÆRES VI:

CASUS QUINQUE.

1. Confessarius dedit mulieri in confessione chartam sollicitationis, postea tamen legendam.

2. Post auditam confessionem mulieris, misit in eam domum litteras sollicitationis, aut lenonem, qui illam induceret ad inhonestam.

3. Dedit mulieri immediatè post confessionem domum insolitum, v. g. anulum, nullam explicando causam.

4. Consulit mulieri conjugatæ in confessione homicidium sui viri.

5. Dat penitentem in confessione pecuniam, ut eam tribuat suæ meretrici. Vel ab ea petit domum, ut eò adducat suam concubinam. An denunciandi?

656. **R**ESP. ad 1. esse denunciandum, ob dict.

in num. 596. ex Decr. Alex. VII. *prop. 6. die 24. Sept. 1665.* etiamsi Confessarius dixisset, litteram illam ad eam mittere sum confanguineum; nam in traditione incipit sollicitatio, & in lectione per-

perficetur. Quòd si mulier epistolam non legeret, sed combureret, non esset denunciandus; quia ignorat, quid continetur, nisi Confessarius per verba, aut signa expressisset. Bord. *num. 56.*

657. Ad 2. resp. non esse denunciandum. Diana p. 1. *tratt. 4. ref. 4. in fin.* ob rationes de *num. 592. & 593.* nisi de tali missione monuisset penitentem, iuxta dicta in *num. 597.* Bord. in *Man. Confess. sct. 25. num. 86.*

658. Ad 3. difficultas non procedit de dono spirituali, aut religioso, sed de insolito, puta si donaret anulum mulieri, pugionem, aut quid simile puero.

Afirmat Trimarchus apud Bord. *num. 60.* quia dona magis alliciunt, quam verba. Item mulier (ut supponitur) nec est pauper, nec anulum perdidit, ergo potest de effectu venereo suspicari, & sic provocari ad libidinem.

Negat Bord. *cit. num. 91.* quia donum non ordinatur ex natura sua ad venera, adeoque non est signum sufficiens, ut mulier suspicetur amorem venerum. Tum quia mulier sic, suspicans temerè suspicaretur, & peccaret, quoniam posset donantis intentionem in bonam partem sumere, nempe in gratitudinem, si ipsa beneficium aliquod ei attulerit, vel ex liberali largitione ex affectu paterno spirituali. Eo præsertim, quia quilibet est præsumendus bonus, nisi certò constet, quòd sit malus. Adeoque talis Confessarius non est denunciandus, nisi inhonestam intentionem, dum donavit, signis, aut verbis expressisset; & tunc esset denunciandus ob hujusmodi signa. Diana p. 9. *tratt. 9. ref. 34.* adhæret Bordonò, quando donum est minimi valoris, v. gr. ramusculus, flos, &c. adhæret verò Trimarcho, quando attentis circumstantiis personarum, est magni valoris.

659. Difficultas est de Confessario, qui in actu, aut occasione confessionis dedit donum insolitum mulieri, v. gr. anulum nihil dicens, post aliquos autem dies accessit ad ejus domum, & cum ea inhonesta tractavit.

Non esse denunciandum, tenet Tancredi *tom. 4. tratt. 9. de Penit. quest. 11.* quia illa donatio, nec est implicitè, nec explicitè sollicitatio, aut tractatus inhonestus: & prava illa voluntas potuit contingere tempore intermedio.

Dico tamen, esse denunciandum, juxta dicta, *n. 595. 596. & 648.* quoniam exitus probat, donum fuisse datum animo alliciendi ad inhonesta opportuno tempore tractanda. Unde quando fuit datum, incepti sollicitatio, nempe in actu confessionis, quando verò post dies fuit externè ostensus animus inhonestus, incipit in muliere onus denunciandi.

Imò, licet donum spirituale, aut temporale solitum, datum mulieri immediatè post confessionem non sit ex se sollicitatio, sed signum benevolentia, ac gratitudinis, & actus indifferens magis inclinans ad bonum, quam ad malum affectum; talis tamen erit, si pulò post sequatur provocatio ad inhonesta, &

tunc pariet onus denunciationis. Bord. in *Man. Conf. sct. 25. num. 91.*

660. Ad 4. negat Bord. *n. 60.* quia homicidium, & consilium ad illud, nec est formaliter, nec virtualiter sollicitatio. Non officit, quòd secuto homicidio, Confessarius habeat rem cum muliere; quia talis actus turpis, licet pendeat ex homicidio, quatenus vivente viro, deerat opportunitas, non pendet immediatè à Confessario, cum mediet homicidium.

Caterum puto, resolutionem pendere debere ex exitu, juxta dicta *num. 595. & 648.* si enim secuto homicidio, Confessarius mulierem requisivit de inhonestis, est denunciandus, quia factum dat intelligere, consilium de homicidio in confessione datum fuisse ob inhonesta expedite tractanda, & ut se liberaret à difficultate viri, ac proinde actus inhonestus licet sit physicè à confessione remotus, est tamen moraliter proximus illi, upotè conjunctus moraliter cum consilio homicidii in confessione dato. Tum quia homicidium in tali casu est medium assumptum ad finem inhonestum, & quia medium sumit etiam malitiam à fine; sequitur, quòd consilium de homicidio, nedum habeat malitiam proprii homicidii, verum etiam inhonestatis; ac proinde cum fuerit in confessione habitus, est tractatus inhonestus in confessione.

661. Ad 5. non esse denunciandum, tenet Soula, apud Dianam p. 4. *tratt. 5. ref. 45. & Bord. num. 62.* quia hi duo actus, licet inhonestatem aliquam videantur habere, non habent tamen illam ex se primo objecto; nam traditio pecunie pro meretrice, non est inductio ad peccandum inhonestè, sed est effectus usus inhonesti ipsius corporis traditi, præsumitur enim tradi in mercedem actus pravi habitus, quam potest mulier justè exigere; unde traditio illa pecunie non est peccaminosa, sed ex justitia debita in mercedem prostitutionis pretii corporis, sæpè namque stat, quòd causa sit mala, ac effectus sit bonus, mala namque est fornicatio, & non est mala susceptio prolis inde sequens; traditio ergo pecunie meretrici ob usum traditum proprii corporis, cum non sit mala, sed debita, non est inhonesta, nec ordinatur ad inhonesta, bene verò ad actum justitiæ exercendum.

Item petitio domus est actus indifferens. Nec officit, quòd sit conditio, sine qua peccatum carnis non fieret, quia hoc non sufficit ad sollicitationem, quæ debet pendere à confessione immediatè, non ab aliquo tertio medio.

Resp. tamen, quòd licet opinio Bordoni possit esse probabilis, quando penitentis potest præsumere, quòd pecunia detur in puram mercedem actus habitus, quando scilicet illi non constat oppositum, & non constat, quòd Confessarius sit cum tali muliere habitus; omnino tamen dico, non esse denunciandum, quando pecunia traditur danda mulieri, cum qua penitens fecit, Confessarium esse habitatum, quia tunc traditio pecunie non est pura mer-

ces

cedens actus inhonesti præteriti, sed simul est allectatio mulieris ad actus inhonestos futuros, quæ tali elca fit promptior ad prostituendum illi suum corpus; unde talis traditio pecunie fit formaliter inhonesta inhonestè effectus, ac proinde subjacet oneri denunciationis.

662. Eadem ratione denunciandus est Confessarius, qui à penitente petit domum, ut eò adducat suam concubinam: quia talis petitio domus est formaliter inhonesta ex effectu: hinc qui accommodat domum pro meretricio, peccat peccato contrahente malitiam inhonestatis ipsius eff. est, quoniam est causa participans, cum det commoditatem ad inhonesta.

663. Idem dico, si Confessarius petat domum, ut solus cum sola alloquatur cum muliere bonæ famæ; quia talis petitio judicio prudenti, & ex regulariter contri gentibus, est suspecta de inhonestate tractanda, quoniam pro allocatione honesta quantumvis secreta cum muliere, non deficient loca honesta non suspecta, & aptiora in Ecclesia. Id autem dico, nisi adit circumstantia talis, quæ faciat prudenter dignoscere finem honestum; inhonestate namque effectus seclusa, inhonesta minimè est hujusmodi petitio domus.

QUÆRES V:

QUINQUE CASUS.

1. An quando verba, vel signa sunt dubia, Confessarius sit denunciandus?
2. An mulier, si sollicitationi consentiat, teneatur denunciare Confessarium?
3. An sit denunciandus Confessarius, si sollicitatus à femina, sollicitationi consentiat?
4. An sit denunciandus Confessarius, si ipse & femina mutuo se sollicitent, primò tamen femina, & postea Confessarius?
5. An sit denunciandus, si sollicitatus à femina ad copulam, remat, dicens se velle tantum satibus oblectari?

665. Ad primum affirmat Diana p. 4. *tratt. 5. ref. 25.* Soula, Peyr. apud ipsam; quia possunt inquisitores interrogare Confessarium circa factum, aut verbum dubium, ad explorandum ipsius mentem, adeoque verba, & signa dubia subjacent oneri denunciationis.

Negat Bord. *n. 59. & 61.* cujus ratio est, quia Bulla Greg. punit certam, non præsumptam sollicitationem. Vide *n. 680.*

666. Ad 2. negat Suarez, & Hurtado, apud Leandrum *tratt. 5. de Penit. disp. 13. q. 43.* quia complex delicti in nulla materia denunciare tenetur. Tum quia talis mulier honesta denunciando timet grave damnum in fama, nam Confessarius ad suum minuendum delictum, confiteretur coram Tribunali, se cum ea actus inhonestos habuisse, sed illa consentiens, cum ea actus inhonestos habuisset, sed illa consentiens. Hanc opinionem sequitur Thom. Hurt. in casu, quo non possit mulier denunciare, quin suum manifestent consensum.

Resp. omnino esse denunciandum Leander *cit.*

Diana p. 4. *tr. 5. ref. 31. & ita declaratum est per Congr. S.R.U. Inquisitionis die 17. Sept. 1624.* apud Donatum *tom. 3. tr. 13. q. 51.* quia ex una parte, verà habetur sollicitatio in confessione, ut supponitur ex alia parte consensus mulieris ipsam non eximit à denunciando, ut constat solvendo rationes in oppositum.

667. Et primò, mulier consentiens in casu sollicitationis, & in Tribunali Inquis. non est complex delicti, quia delictum ad Sacrum Tribunal spectans non est actus inhonestus ad equatè sumptus, ut includit Confessarii, & penitentis consensum, sed solum, ut includit Confessarii consensum, seu ut præcisè est à Confessario: unde mulier denunciata à Sacro Tribunali non accipitur ut complex, sed ut testis; nec tenetur suum manifestare consensum, imò nec de eo poterit à Tribunali interrogari, quòd si ipsa ex simplicitate illum declaret, in actis non ponitur. Vide *num. 584.*

Secundò, nullum est illi infamiae periculum, quia Sacrum Tribunal non dat fidem Confessario, sed credit, id dicere ad iudicium evadendum, aut poenam minuendam. Ex alia parte ipsa mulier non tenetur suum manifestare consensum, nec de eo S. Trib. curat. Vide *num. 584.*

668. Ad 3. negant Peyr. Bonac. Port. Castro-pal. Thom. Hurt. Freitas, & alii, apud Leandrum *cit. quest. 20.* Bord. *num. 78. & in Man. Confess. sct. 25. num. 169.* Homob. Lezana, Bolsius, Delbene, apud ipsam, & Donatum *tom. 3. tratt. 13. quest. 52.* quia Bulla Greg. solum loquitur de penitentibus sollicitatis: Mandantes omnibus Confessariis, ut suos penitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes. Unde cum in casu Confessarius non sit sollicitans, sed sollicitatus, non venit denunciandus.

Resp. esse denunciandum Diana *par. 4. tratt. 5. ref. 4. & 42.* Leander *cit.* & Fagundes; quia Confessarius sollicitationi consentiens, licet non sit sollicitator, seu provocator, sed sollicitatus, verè tamen habet inhonestos sermones, seu tractatus pretextu confessionis: non comprehenditur in Bulla Greg. non quoad nomam, sed quoad decimam clausulam.

669. Major difficultas est, si Confessarius nihil respondit, sed tacuit.

Resp. cum distinctione; & 1. vel Confessarius ita tacuit, ut nullum dederit signum reprobativum, sed ipso immoto, permisit mulieri liberè inhonellum tractatum prosequi, & sic est denunciandus; quia qui tacet, consentire videtur; & maxime in circumstantiis loci, & actus Sacramentalis, quem exercebat, quæ nullo pacto permittunt, ut in simili casu Confessarius perseveret ibi quietus, & talem per-versam mulierem acriter non reprehendat. Tum quia tractatus inhonestus est inter plures; quorum unus sufficit, quòd sit actor, alter patiens, & acceptans, ut liquet de audiente detractorem, qui est peccati detractiois particeps, audiendo; potens libe-

TTC

rè

re impedire, aut abire, unde cum talis sit hujusmodi Confessarius, verè dicitur tractatum inhonestum habere. Vide num. 634.

2. Vel statim, muliere relicta, aufugit, & hic est laudandus, quia in materia carnis victoria habetur pro fugam. Nec talis mulier accessit pro Sacramento, sed pro sacrilegio. Et qui major disensus, quam terga vertere mulieri allicienti? Quòd si postea accedat ad ejus domum, & rem habeat, est reus peccati carnis, sed non in Bullam; quia nullum signum externum consensus dedit in confessione, licet interius consenserit.

Vel 3. Confessarius tacuit, quatenus utpote timoratus simul, & pusillanimis, audita inexpectata perveritate mulieris, remansit præ confusione immotus, & hic nullo pacto est reus, sed pusillanimis, nec est verisimile, quod callida mulier ex signis faciei, & conturbationis id non dignoscatur. In dubio vide n. 680.

670. Ad 4. difficultas non est in casu, quo Confessarius primò sollicitet, quia tunc sumus in secundo casu. Nec quando Confessarius à pœnitente sollicitatus sollicitationi statim consentit; quia tunc sumus in tertio casu. Sed in casu, quo sollicitatio à muliere facta interruptur, & postea Confessarius, mulierem nihil de sua sollicitatione dicentem, sollicitat ex parte sua, quæ interruptio tripliciter contingere potest. 1. Directè per actum contrarium dissentiendo. 2. Indirectè mulierem ad alia divertendo. 3. Eam ad aliam speciem luxuriae provocando, puta si mulier sollicitet ad copulam naturalem, & Confessarius ad innaturalem. Hoc præmissis cum Bord. num. 74.

Resp. esse denunciandum Leander cit. q. 22. & Bord. cit. num. 75. 76. & 77. contra Peyr. Castrop. & Acunnam apud Leandrum, quia verè tractatum habuit inhonestum. Imò est verè sollicitator, & provocator; nam in 1. & 2. casu, stante interruptione sollicitationis factæ à muliere, sollicitatio deinde facta à Confessario, licet sit occasionata à sollicitatione mulieris, est vera provocatio. Et in 3. casu verè Confessarius dicitur primò sollicitare, & provocare mulierem ad speciem inhonestam, ad quam non provocavit mulier.

671. Ad 5. negat, Bord. num. 77. quia Confessarius sollicitatus à muliere ad copulam, aut pollutionem, si sit contentus solis oculis, & tactibus, non dicitur sollicitator, sed solùm consentiens in actu, ad quos censetur à muliere provocatus, dum ab ea fuit provocatus ad copulam, vel pollutionem, ad quam illi sunt actus prævii, & dispositiones, juxta dicta num. 669.

Resp. esse denunciandum. Leander cit. q. 21. Diana 4. p. tract. 5. ref. 13. quia verè habet tractatum inhonestum in confessione. Vide num. 669.

QUÆRES VI:

672. Confessarius vocatus à muliere fingente se infirmam domi pro sui confessione audienda, ad eam accessit, & ab ea fuit sollicitatus ad turpia; recusavit Confessarius, at ipsa minas addidit, dicens: se exclamaturam, vim sibi

inferri, nisi consentiat: hinc ex metu infamia Confessarius sollicitationi consentit: An denunciandus?

Afirmat esse denunciandum Carena p. 2. cit. 7. §. 19. num. 91, quia verè habuit tractatum inhonestum occasione confessionis. Nec metus excusat, quia non est cadens in virum constantem, sed levis.

673. Negant esse denunciandum Sancius, Acunna, Peyr. Trullench, Freitas, quos refert, & sequitur Leander cit. q. 23. Diana p. 4. tract. 5. ref. 15. quia ejus consensus ad inhonestam non est voluntarius, sed extortus per vim, & metum gravem, electus ad vitandam infamiam, quæ est grave damnum, quod in casu prudenter, & probabiliter ex mulieris vociferatione timetur; vis autem, & metus gravis, qualis est metus infamiae excusat à Constitutione Greg. nam excusat à lege positiva, & humana. Tum quia non Confessarius occasione confessionis habuit tractatus inhonestos, sed femina; & Confessarius passivè se habuit, cum accesserit animo audiendi, non sollicitandi; femina inquam, non Confessarius occasione, seu pretextum confessionis accepit ad sollicitandum; cum autem Bulla Greg. loquatur de Confessariis tractatus inhonestos habentibus occasione confessionis, non de feminis; sequitur, quòd nec Confessarius, nec femina sint denunciandi, quatenus casus non est comprehensus in Bulla Greg. Ita Joseph de Januario de *Conf. reserv. ref. 58. Vide tom. 1. de Legibus, ver. Metus.*

674. Diana denique p. 10. tract. 14. ref. 50. media via incedens, ait, talem Confessarium puniendum esse ab Inquisitoribus, non pœna ordinaria, sed extraordinaria: nec debere abjurare, quia ex *cap. Sacris, de iis, quæ vi:* licet metus attenuet culpam, non tamen eam prorsus excusat. Idem novissimè sentit Bord. in *Man. Conf. sect. 25. n. 242.*

QUÆRES VII:

675. Mulier amore capta Confessarii fecit amarissimas incantationes, quibus arte demonis accensus Confessarius in Confessionario ejus amori consentit: An denunciandus?

Resp. Tancr. tom. 4. tract. 1. de Pœnit. quæst. 20. quòd licet de hoc casu videatur, posse discuti, licet de metu gravi: sit tamen denunciandus, quia dæmon sua arte non privat libertate, nisi forte Confessarium aliquo pacto dementaret; mitius tamen est puniendus. Ita ille.

QUÆRES VIII:

676. Confessarius tentavit in domo mulierem, quæ solùm oculis consensit, non factò: accessit mulier pro confessione ad præsumtum Confessarium, qui cum audiret in confessione obscura præterita, & repulsam circa factum, dixit mulieri: & si ille vim tibi intulisset, quid fecisses? Cui illa respondit: in tali casu cessissem. Tunc Confessarius graviter eam reprehendit, & ad resistendum suavit, quo promisso, & confessione peracta, Confessarius post vespas, aut sequenti die accessit ad domum mulieris, & eam duxit solum in quoddam cubiculum, nul-

nullis verbis præmissis, sed manibus datis, cognovit: An denunciandus?

Negat Tancr. cit. q. 26. quia illa occasio confessionis est remota, non proxima. Tum quia hic non dicitur peccare ex occasione, sed ex cognitione confessionis: undè sicut non est denunciandus Confessarius, qui audita confessione mulieris (quam non cognovisset, si non audivisset) accedit ad ejus domum, &c. ut n. num. 592. & tractat inhonestam, ita nec in casu.

Resp. esse denunciandum, etiamsi non esset secutus effectus, quia sollicitavit in actu confessionis; nam interrogatio illa fuit impertinens ad confessionem; & inhonestam; quoniam fuit callida requisitio modi pro obtinendo suo pravo fine. Vide num. 595.

QUÆRES IX:

677. Confessarius mulieri, quæ in Confessione se accusavit de turpi desiderio, dixit: tu non patraisti, quod cupiebas, sed si quis tibi daret quantitatem pecuniarum, id ageres? An sit denunciandus?

Resp. cum distinctione, vel mulier respondit affirmativè, vel negativè?

Si respondit affirmativè, & Confessarius tacuit, & eam non reprehendit, utique est reus sollicitationis, & denunciandus, ut liquet: Si eam reprehendit: tunc solutio pendet ex exitu: Si enim postea accessit ad ejus domum, & pecuniam obtulit pro re turpi, reus est sollicitationis, juxta dicta n. 659. & 676.

Si respondit negativè, & sic fuit absoluta, Bord. in *Trib. Fidei, cap. 23. num. 131.* vult non esse denunciandum, quia talis interrogatio sumi potest in bonum sensum; potest enim dici facit in ordine ad habendam notitiam dispositionis pœnitentis, an scilicet sit digna absolutione, si namque mulier affirmasset, eam non absolvisset.

At Bord. non potest hujusmodi Confessarium à nota imprudentiæ eximere, juxta dicta num. 655.

CAPUT XII.

DE UNDECIMA CLAUSULA.

678. Mulieres omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, monent de obligatione denunciandi sollicitatos, seu ut presertim, tractantes, Inquisitor. seu locorum Ordinarii.

Pœnitens sub mortali denunciare tenetur Confessarium sui sollicitorem, quia agitur de re gravi, & de abusu Sacramenti, etiamsi semel eam sollicitaverit, quia semel sollicitator est verè sollicitator, de quo loquitur Bulla. Imò qui semel sollicitavit unam, sit suspectus, quod sollicitaverit plures, num. 282.

679. Denunciare tenetur ille, qui scit sollicitationem, quatenus casu vidit, aut eam audivit propriis auribus. Etiam ille, qui scit ex auditu immediato, scilicet ex ore ipsius Confessarii sollicitatoris, aut pœnitentis fidedigni, seu bonæ famæ; nisi non

benè recordetur verborum. Tancr. tom. 4. tract. 1. de Pœnit. q. 23. vel non recordetur, à quo audivit: Aut si quæ audivit ab ignotis.

680. Difficultas est: an ille denunciare teneatur, si audivit à personis levibus, & non fidedignis?

Negat Bord. num. 94. Leander cit. q. 57. & apud ipsum Trullench, Rodr. Port. Corduba, Navarra, & Hurt. nam malevolis, & maledicis non est credendum, sed tantum providis, & honestis personis, cap. Qualiter 24. de Accus. Ratio est, quia denunciator tunc exponeretur periculo gravis damni sibi, & reo; tibi, quia posset notari levitatis, juxta illud: qui cito credit, levis est corde. Reo, quia illum exponeret periculo infamiae, injuste ascriptionis, aut pœnæ. Undè non dicitur scire, qui audivit à persona levi. Hurt. & Cord. tement, ut ipsum à quo audisti, mittas ad Inquisitorem. Negat etiam Bord. si pœnitens, à quo audisti, sit mas, sed non juvenis, quia sollicitatio dicta in personam non juvenem, est suspecta de malignitate.

Et universalius Bord. num. 582. ait, in dubio sollicitationis non esse onus denunciandi; quia in dubiis ex una parte quisque suam possidet libertatem, ex alia favendum est reo. Tum quia dubia sunt in meliorem partem interpretanda. Idem Bord. in *Man. Conf. sect. 25. à num. 108.* Vide num. 659. 665.

681. Me tamen magis movet sententia affirmativa, quam tenent Diana p. 4. tract. 5. ref. 28. & Spatarius. Ratio est, quia fundamenta sententiæ negativæ habent locum in aliis criminibus, & Tribunalibus, minimè in causis, & delictis spectantibus, ad S. Officium; quia in hoc Tribunali admittuntur testes inhabiles, excommunicati, perjuri, infames, criminosi de criminibus exceptis, &c. qui sunt pessimæ famæ, & levissimæ fidei; quod non fit in aliis, & ita non est mirum, si pro his delictis denunciatur dicta personarum levium. Pro his ergo non spectat ad te discernere, si persona, à qua audivisti, sit bonæ famæ, & fide digna, vel non, sed ad Inquisitores. Cujus rei ratio est, quia delicta hæresis, aut suspecta de hæresi sunt ita perniciosa Reipublicæ Christianæ, ut ad ea extirpanda oporteat hujusmodi testes admittere.

682. Illum, qui id audivit ex auditu mediato, hoc est à tertia persona media, quæ id ab alia audivit, non teneri denunciare, ait Bord. cit. num. 94. quia ex l. 2. §. Item habeo, ff. de Aqua pluv. arc. loquendo de auditu mediato, dicitur: Quod audis, nec scire dicitur: Non sic, qui audivit ex auditu immediato, quia hic habet pro autore ipsum auctorem sui dicti. At firmiter puto, quod denunciare teneatur, si talis persona sit fide digna. Bonac. tom. 1. de Onere denun. disp. 6. p. 893. num. 1. qui id docet, quoad Edicta extra causas fidei; quia licet testes ex auditu regulariter non probent, nisi à pluribus audierint, qui ipsi audierint; dant tamen viam inquirendi ab illis, qui immediate audierunt, aut viderunt. Bord. autem novissimè eum sentit in *Man. Conf. sect. 25. n. 166.*

683. Si principalis denunciavit, aut denunciare velit, scientem ad nihil teneri, quia jam est satisfactum Sancto Officio, ait Bord. *num. 93.* hoc autem dico esse verum, quando sciens scit ex auditu immediato à persona sollicitata, quia tunc eius denunciatio, cum sit tota fundata in autoritate dicentis, non habet majorem vim, quam denunciatio ipsius personæ sollicitatæ, nec ei addit majorem fidem; minime verò quando scit ex auditu immediato ipsius Confessarii sollicitantis, vel quia lateri Confessionarii proximus, casu ipsum sollicitationis actum audivit, aut vidit; nam in utroque casu scientis denunciatio addit denunciationi personæ sollicitatæ majorem virtutem, & fidem; quoniam in primo casu addit confessionem extrajudicalem ipsius Confessarii: in secundo addit novum testem, ita ut sint duo testes de scientia ejusdem singularis delicti, ac proinde in utroque casu sciens denunciare tenetur, etiam si persona sollicitata denunciaverit.

684. Item addit Bord. quòd sciens non teneatur denunciare, quando persona sollicitata excusatur; quia sciens uti accessorius obligatur eadem lege, qua principalis.

Neque hoc puto absolue verum, quia potest dari causa legitima, puta prudens periculum gravis mali, aut impotentia in persona sollicitata, quæ non militet in sciente. Illud est verum, quod mortuo Confessario, expirat onus denunciationis, quia cessat finis legis, qui est emendatio, & punitio in aliorum exemplum.

Denique subdit Bord. *in Man. Conf. sect. 25. n. 166.* quod audiens ab ipso sollicitante, aut à persona sollicitata, quæ sit bonæ famæ, non teneatur denunciare, si sollicitator se exculpavit coram Inquirentore.

685. Tam in hoc, quam in aliis delictis ad Sanctum Officium spectantibus denunciare tenetur, qui probare non potest, ex Decr. Alex. VII. *prop. 5. die 24. Sept. 1665.* & licet delictum sit occultum, & delinquent non sit diffamatus, quod in aliis Tribunalibus non procedit. Ratio primi, quia de ratione denunciationis est, ut denunciator non teneatur probare delictum. Tum quia denunciator in S. Officio accipitur ut testis. Item sufficit Tribunali ad diligenter adhibendas. Denique contingere potest, ut præcedant, aut sequantur aliæ denunciations contra eundem, quibus, addita tua denunciations, Tribunal habeat jus inquirendi contra reum, & vocandi ad iudicium.

Ratio secundi; quia hæc delicta sunt contra bonum publicum Reipublicæ Christianæ, quod prævalet bono privato, & juri, quod quis habet in propriam famam, quando delictum est occultum, aut probari non potest.

686. Eadem ratione denunciare tenetur, qui ea sit sub secreto naturali, etiam si secreto fuerit adjunctum juramentum de non manifestando; quia secretum naturale est bonum privatum, illud autem manifestare est bonum publicum; quoniam illud tacere

præjudicat bono publico. Bord. *num. 56.* omnino tamen excusat sigillum Sacramentale, quia spectat ad bonum publicum, & potiori jure. Nec juramentum tenet; quia est de materia mortaliter mala.

687. Non tenetur tamen denunciare, qui scit occasione consilii, quia tacere, quod scitur occasione consilii, spectat ad bonum publicum ad conservandum scilicet opus misericordie, instruendo ignorantem, & imperitum. Item inductum in favorem non est retorquendum in detrimentum. Bord. *n. 95. & apud ipsum Sancius, Trimarcus.*

688. Mulier sollicitata tenetur personaliter Confessarium sollicitantem denunciare; quia hæc est obligatio personalis, quæ per alium fieri non potest, alias denunciatio esset ex auditu alterius.

Qui denunciant per epistolas sine nomine non satisfaciunt, bene verò, si eas proprio nomine, & cognomine subscribant, qui tamen sunt postea à Tribunali vocandi, ut iterum juridicè deponant.

Mulieres nobiles, & similes vereri non debent accedere ad Sanctum Officium. Quòd si valde ve-reantur, monere debent Inquirentem per internuncium, ut mittat in domum Notarium ad denunciationem recipiendam. Et ita debent facere Moniales, & puella in Monasterio detenta, quæ exire non valent.

Aptior internuncius est Confessarius, cui Inquirentor monitus potest dare commissionem, ut recipiat in scriptis, & cum juramento denunciationem, ex Decr. S. Inquis. Rom. *in Urb. VIII. 27. Sept. 1624.* apud Bord. *cap. 23. de Solicit. num. 89.* his verbis: *E quando il penitente tuttavia persistesse nella medesima tenenza, N. S. si contenta, che dal Vescovo, o Inquirentore si dia autorità al Confessore di ricercare per scrittura, e con giuramento la denuncia per portarla subito à chi gli averà data l'autorità di pigliarla.* Quem modum expertus sum aptiorem pro recipienda Monialis denunciatione, absque periculo quòd denunciatus cæteris Monialibus manifestetur.

Qui scit Confessarium sollicitantem, tenetur illum denunciare, etiam si sit amicus.

Non tenetur autem, si prudenter inde timeat grave malum sibi, aut suis conjunctissimis, videlicet patri, matri, marito, filiis, aut fratribus.

Pariter non tenetur eum denunciare pater, mater, filius, frater, *num. 585. Tanc. tom. 4. tract. 1. q. 23. Diana p. 1. tract. 4. ref. 6.*

689. Si penitens sollicitata non denunciavit, Confessarius autem ex aliorum denunciatione confessus, aut convictus, punitus fuit de eadem sollicitatione ipsius penitentis, denunciare amplius non tenetur; quia non fit bis iudicium in eundem. Tenetur autem denunciare, si Confessarius fuit punitus non pro ea, sed pro alia sollicitatione, sive alterius, sive ejusdem penitentis; quia alias non diceretur sufficienter punitus, cum magis puniatur duæ sollicitationes, quam una, & tres, quam duæ, &c. Bord. *num. 102. Diana p. 4. tract. 5. ref. 49.*

Imò

Imò in casu hæresis, accedente nova probatione novi actus hæreticis, reus iterum punitur. Diana *part. 4. tract. 5. ref. 21.*

690. Confessarius sollicitans potest à quolibet simpliciter Confessario absolvi; quia sollicitatio nullo jure est reservata.

In Dioecesi vero Neapolitana sollicitatio à Confessario facta in actu confessionis, aut immediatè antè, vel post, est casus reservatus sub excommunicatione. Facta verò occasione confessionis est casus reservatus, sed non sub excommunicatione. Primum habetur in Synodo p. 97. n. 7. secundum ibi p. 99. n. 18.

Sollicitans filiam spirituale confessionis, extra tamen casum confessionis non est denunciandus; quia hic casus, nec sapit suspensionem hæresis, nec in Bullis comprehenditur. Bord. *num. 116.*

QUÆRES I:

691. An mulier teneatur denunciare Confessarium sollicitantem, à quo antè plura munera habuit, & sperat habere absque malo sine ratione elemosina?

Negat Sancius, apud Dianam p. 10. *tract. 13. ref. 46.* quia obligatio gratitudinis circa benefactorem est de jure naturali, quod prævalet juri humano denunciationis. Tum quia talis mulier se privaret beneficiis futuris, quod est idem, ac in propriis bonis jacturam sentire. Idem tenet, si munera sint in persona mariti, filiorum, parentum, & fratrum, quia natura gratitudinis non solum obligat pro beneficiis in propria persona susceptis, sed etiam in persona mariti, filiorum, parentum, & fratrum.

Resp. omnino teneri ad denunciandum Diana *cit.* qui refert, allatam opinionem fuisse ex operibus Sancti delatam à S. Congr. Indicis. Ratio est: quia obligatio denunciandi nedum est ex jure humano rationi Edicti, & Bullarum, sed etiam ex jure naturali, potiori quàm jus gratitudinis, quia est ad conservandum bonum Reipublicæ Christianæ. Tum quia longe major est obligatio gratitudinis, quam habemus Creatori Summo Benefactori, quàm benefactori creato.

QUÆRES II:

692. Mulier sollicitata cerò cognovit, Confessarium ad id motum esse, non quia malè sentiat de Sacramento, sed ex pura fragilitate. An teneatur eum denunciare?

Videtur, quod non, quia Pontifices, ut patet, ex *cap. 14. q. 2.* moti sunt ad præcipiendam denunciationem Confessarium sollicitantium, quatenus præsumunt, eos male sentire de fide, hinc eos declarant suspectos de fide; cessante autem præsumptione in lege, cessat lex. Et cessante suspitione hæresis, delictum cessat esse Tribunalis Fidei.

Resp. tamen, teneri eum denunciare. Præsumptio enim est triplex, hominis scilicet, & est conjecturatio concepta in animo alicujus, ex aliquibus indicibus Juris, & est probabilis conjectura ex certo signo à jure præscripto, ita ut, eo dato, si non probetur

contrarium, habetur pro certò: & denique juris, & de jure, quæ à lege statuitur tanquam firmum jus, ita ut excludatur omnis probatio in contrarium. Talis in casu sollicitationis est præsumptio, est inquam juris de jure, quæ facit legem absolutam, & non admittit probationem in contrarium; Constitutiones enim Pontificie relate n. 573. declarant hujusmodi sollicitantes suspectos de hæresi, eosque abjurare faciunt, non obstante, quòd fateantur se motos ad sollicitandum, non quia malè senserint, sed libidinis impetu.

QUÆRES III:

693. Confessarium post sollicitationem in ipsomet actu confessionis penituit se sollicitasse. An denunciandus?

Resp. affirmativè. Diana p. 4. *tract. 5. ref. 22.* Bord. *num. 98.* quia alias quilibet Confessarius sollicitans posset denunciationem effugere, nam post sollicitationem, sive penitens dilaceret, sive confenserit, posset ostendere signa doloris, & dicere, se penitere. Tum quia quod factum jam est, nequit non fieri. *L. in bell. §. Factum, ff. de Cap. & postlim. rever.*

QUÆRES IV:

694. An penitens teneatur denunciare Confessarium, si credat, eum esse emendatum?

Negat Leander *tract. 5. de Penit. disp. 13. q. 17.* & apud ipsum Scotus, Moscius, Naldus; Acunna, Freitas, Port. Peyr. Soula, Lezana, Castropal. D. Anton. & alii nonnulli; quia finis denunciationis est emendatio proximi, unde hac habita, cessat onus denunciationis; quoniam cessat ejus finis. Qui idem docent quoad alia delicta.

Hanc sententiam limitat Fagundes p. 2. *lib. 6. cap. 4. n. 17.* dicens, eam procedere de omnibus delictis suspectis de hæresi, minime verò de hæretico formali, quia hujus emendatio difficulter constare potest. Nec potest abstinere, quin hæresim, quam est amplexatus, alios doceat. Apud Dianam p. 1. *tr. 4. ref. 4.* probabilem hanc opinionem ait esse Bord. *in Trib. Fid. cap. 23. n. 93.*

695. Signa emendationis; quæ à denunciatione excusant, dicunt esse. 1. Si delinquent est sacramentaliter confessus, Felinus. 2. Si Jubilæum est consecutus. Genentius. 3. Si per triennium bene vixit. Freitas, Sanctiis, & alii. 4. Specialiter quoad sollicitationem: si mulier sollicitata ter, aut quater ad ipsum Confessarium accedens, in eo animo libidinosum, & signa libidinis non reperit, quem modum amplectitur Diana p. 4. *tract. 5. ref. 23.* data sententia hac negativa. Ita Leander *cit. q. 8.* & Doctores *cit.* apud ipsum. 5. Alii id remittunt arbitrio boni viri.

Resp. tamen, penitentem, aut scientem teneri eum denunciare, non obstante iudicio, quòd sit emendatus. Diana p. 4. *cit.* & apud ipsum Bonacina, Suarez, & alii; item Delbene cum pluribus, p. 2. *d. 23. 7. sect. 13. per. 2. & p. 1. d. 18.* ubi loquitur de hæretico formali, quia finis denunciationis in delictis sollicitationis, & aliis hæreticibus, et suspectis de hæresi, non est sola emendatio proximi, sed etiam de-

de-

delinquentis punitio publica ad aliorum exemplum, coercitionem, & securitatem, quod magis urget, cum respiciat bonum publicum Reipublice Christianae, quam emendatio fratris, quae respicit bonum privatum illius. Vide num. 703.

QUÆRES V:

696. Confessorius occasione confessionis, & in Confessione habuit per plures vices, & dies pollutionem cum muliere, cui, cum deberet ipse Confessorius mutare locum, postea visis, ut de eo peccato cum nullo alio confiteretur, nisi cum ipso; sic fecit mulier, nam ad eum alio die pro confessione generali reversa, ab eo fuit absoluta. Quo facto mulier per viginti annos stetit in bona fide: deinde audiens Religiosum quemdam loquentem de onere denunciandi sollicitantes in confessione, venit in scrupulum, an teneatur Confessorium denunciare? Exponit autem, Confessorium vivere, esse bona fama, & in alia Urbe Regni in dignitate constitutum. Quid dicendum?

697. Suppono 1. Confessionem ultimam fuisse validam, quia cum immineret Confessario mutatio loci, confessio cum eo non fuit fomentum ad peccati continuationem; & licet indecenter Confessarius excipiat, & absolvat penitentem ab ipso sollicitatam, valide tamen ex Jure Communi absolvit, si talis confessio non sit causa, & fomentum ad continuationem peccati. Dixi ex Jure Communi, quia ex speciali in quibusdam Diocesis interdicitur Confessariis sub pena excommunicationis audire confessionem complices in peccato carnis. * Nunc à Benedicto XIV. in Bulla: Sacramentum Penitentiae 1741. quam habes in Appendice pag. 117. nisi in articulo mortis, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, prohibuit Confessarium excipere confessionem Sacramentalem personae complices in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commissio; adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit.

698. Suppono 2. Quod si mulier sollicitata redeat ad ipsum Confessarium, qui sollicitavit, ut eum eo confiteatur, & absolvat, non teneatur Confessarius monere ipsam, ut denunciaret. Bord. num. 86. quia ex jure naturae nemo tenetur seipsum prodere, num. 583. quod liquet ex verbis Bullae, num. 573. ut suos penitentes, quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos, &c. Optimum tamen consilium erit, si Confessarius mulierem spontanea comparitione praeveniatur. Bord. num. 86. His suppositis,

699. Resp. mulierem istam teneri denunciare Confessarium. Delbene part. 2. d. 237. sect. 13. per. 2. Ratio est, quia mulier sollicitata non evalit onus denunciandi per hoc, quod confessio sit cum ipso Confessario sollicitante, quoniam hoc est damnatum ab Alex. VII. die 24. Sept. 1665. prop. 7. neque per hoc quod ex lapsu tanti temporis judicio boni viri censeatur emendatus, ut dictum est num. 695.

700. Eam tamen ob onere denunciandi liberabunt auctores, qui tenent, penitentem non teneri denunciare Confessarium, si credat, eum esse emen-

datum, num. 694. 695. Imò ita expressè in casu tenet Lupus in Edict. Inquis. pag. 89. cum Acunna; maxime, quia ex l. 2. cap. de Aposi. prohibetur, ne ultra quinquennium queratur de statu vite alicujus, quoniam ex Farin. & aliis, apud Bord. in Trib. Fidei, cap. 30. num. 9. post triennium quis praesumitur emendatus. Vide num. 637. At, ut bene advertit Bord. cit. hoc non procedit quoad delicta ad Inquisitionem spectantia: in Edicto enim Parmensi apud ipsum ponitur §. 11. tenoris sequentis:

E quelli, li quali fanno, o hanno havuto, o hanno notizia di qualsivoglia caso spettante al S. Officio, è massime d' Eresia, sono tenuti, come di sopra, sotto l'istesse pene, & censure à denonziarli ne sono scusati da qualsivoglia condizione, o longhezza di tempo, onde s'ingannano quelli, che pensano, per esser trascorsi dieci, quindici, & venti anni non esser più obbligati à denonziare i casi al S. Officio: il che però s'intende di quelli, che non hanno mai soddisfatto, & denonziato.

QUÆRES VI:

701. An praevidenda sit ante denunciationem correctio fraterna, si firmiter emendatio speretur?

Afirmare, praevidendam esse correctionem fraternam, si speretur emendatio, ita ut ea facta si firmiter credatur emendatio, correctus non sit denunciandus, D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ubi ait: Quod si aliquis occulte trahat, quomodo civitas tradatur hostibus, vel si haereticus privatim homines à fide avertat, & quia ille, qui sic occultè peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios: oportet statim procedere ad denunciationem, ut hujusmodi nocuum impediatur, nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire. D. Thomam secuti sunt Sorus, Canus, Sylvester, Lopez, Ledesma, Reginaldus, Port. Joan de la Cruz, & alii, apud Dianam p. 1. tract. 4. ref. 2. qui id tenent de omnibus delictis ad S. Officium spectantibus, etiam si sint de haeresi formali. Idem tenent de delicto sollicitationis, & aliis suspectis de haeresi Fagund. Molfesius, Homobonus, & alii apud Dianam cit. cum Leandro cit. q. 6. & Delrio in Disquis. Mag. lib. 5. sect. 4. num. 6. apud quem aliqui idem tenent in dubio, si sit profutura correctio. Quorum ratio est, quia praeceptum correctionis est de Jure Naturali, & Divino; praeceptum verò denunciationis, humanum, quod illi praevalere non potest; imò Fagundez, & Peyr. apud Dianam cit. addunt, quod, ut correctio iudicetur non profutura, non sufficiat fieri semel, sed fieri debere iterum, atque iterum, quandiu iudicio prudenti speretur emenda, & attendi debeat qualitas correcti, & corrigentis.

702. Resp. in delictis ad S. Officium spectantibus, tam si sint de haeresi formali, quam si sint sollicitationis, & suspecta de haeresi, omnino faciendam esse denunciationem, nulla praemissa correctione fraterna, etiam si firmiter emendatio speretur. Diana cit. & apud ipsum Bonac. Sanctius, Sylvester, & alii. Ratio est, quia in denunciatione evangelica praemittit-

tenda est correctio fraterna, ex Gloss. in cap. 2. de accusat. v. charitative; minime in denunciatione judiciali, quae quidem est à lege praecipua in poenam delicti, qualis est denunciatio, quoad delicta Inquisitionis; nam illa est praecise in gratiam fratris, ejus emendationem intendens, ista est magis principaliter in gratiam legis, quae punitionem intendit, & bonum publicum, quod praevalet bono, & commodo privato fratris, ut loquitur Scotus in 4. dist. 14. q. 2. §. Primo art. Vide num. 695.

703. Praeterea in delictis haereticis, aut suspectis de haeresi difficulter emendatio speratur, quia sunt ita viscosa, & perniciosa Christianae Reipublicae, ut non sit facilis per correctionem fraternam eorum extirpatio ex animo, & inclinatione hujusmodi delinquentium: liquet experientia de maleficis, & superstitiosis, qui etiam post punitionem, quae est plus, denud solent in similia delicta recidere; cum hoc solo discrimine, quod accuratius invigilent, & studeant ad se occultandum, quod magis nocet publico bono.

704. Denique, aperta via correctioni, secluderetur via denunciationi; nam isti scientes, quod, correctione despecta, essent denunciandi, & puniendi, de contra verò, quod, ea recepta, eximerentur; fingent, se libenter correctionem acceptare, & ore gratias agerent, se excusando de praeterito ex ignorantia, aut inadvertentia; sunt enim homines calidi, non hebetes.

705. His accedit Decr. S. Inquis. coram Alex. VII. die 8. Julii 1660. Licet alias num. 249. relatum per illa verba: Etiam si nulla fraterna correctio, vel alia monitio praemissa fuerit, omnino teneri, &c. ad denunciationem.

QUÆRES VII:

706. An si Edictum non publicetur, adhuc mulier sollicitata teneatur Confess. denunciare?

R Esp. affirmative. Diana p. 4. tract. 5. ref. 41. & quia delictum sollicitationis est suspectum de haeresi, tunc tenetur denunciare sub mortali, & sub excommunicatione latae sententiae, vel ex ipso Edicto, quatenus est perpetuum, ut in num. 241. vel ex Decr. Univ. Inquis. Rom. die 3. Jan. 1623. apud Dianam cit. praecipiente sub excommunicatione majori latae sententiae, denunciandos esse haereticos, aut de haeresi suspectos intra duodecim dies à noticia delicti Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis. Vide n. 730. quod Decretum esse perpetuum, docet Diana cit. contra Bord. in Trib. Fidei, cap. 30. n. 2.

QUÆRES VIII:

707. Cui faciendae sit denunciatio Confessarii sollicitantis Inquisitoribus, an Episcopo? Et an liberetur à denunciatione faciendae Inquisitoribus, qui denunciavit Episcopo?

R Esp. 1. In Regnis Hispaniarum, tam in causa sollicitationis, quam in ceteris causis fidei, denunciationem faciendam solis Inquisitoribus, ita ut denunciatus Episcopo non liberetur ab

onere denunciandi Inquisitoribus; imò Episcopus tenetur illum ad Inquisitores pro denunciatione remittere. Diana p. 4. tr. 5. ref. 25. Leand. tract. 5. de Penit. disp. 13. quest. 46. quia licet ex jure, Episcopi in causis fidei possint separatim procedere contra haereticos, aut suspectos; in Regnis tamen Hispaniarum ex consuetudine, & privilegio solis Inquisitoribus, nedum in causa sollicitationis, sed etiam in ceteris causis fidei cognoscunt, & procedunt, Episcopis assistentibus solum per Procuratores, qui vocari solent Ordinarii; quibus consuetudinibus non derogat Bulla Greg. & multo magis non derogat Decretis à prioribus Pontificibus concessis, quod solis Inquisitoribus in crimine sollicitationis cognoscant.

709. Resp. 2. In aliis Regnis, & Inquisitionibus, ubi talis consuetudo, & tale privilegium non adest, denunciationem fieri posse solis Episcopis, ita ut denuncians liberetur ab onere denunciandi Inquisitoribus, quia per Bullam Greg. XV. conceditur Episcopis, ut possint simul, aut separatim cognoscere de crimine sollicitationis. Idem conceditur Episcopis, ut in causis fidei, tam contra haereticos, quam contra suspectos, possint procedere separatim ab Inquisitoribus, ex cap. per bus, de Haeret. in 6. cap. Ut Inquisitionis, de Haeret. in 6. & in aliis textibus, apud Dianam cit. Unde Episcopi de jure communi in causis fidei procedunt, ac proinde jurisdictioni Inquisitorum non praedicitur jurisdictioni Episcopi; quia non est Inquisitoribus data privative, id est excludive quoad Episcopos, sed cumulative. Unde ait Diana, Inquisitores esse datos Episcopis, tanquam Adjutores.

QUÆRES IX:

710. Episcopus sollicitans cui sit denunciandus? R Esp. Episcopus sollicitans non esse denunciandus Inquisitoribus, sed Sedi Apostolicae. Leand. tr. 1. de Penit. disp. 13. q. 50. Thom. Hurt. Caltrop. Fag. & alii apud ipsum; quia Episcopus, etiam in causa haeresis non subditur Inquisitoribus, ex cap. Inquisitores, de Haeresi in 6. & Trid. sess. 24. cap. 5. his verbis: Causa criminales graviore contra Episcopos, etiam haeresis (quod aliter) quae depositio, aut privatio dignae sunt, ab ipso tantum Summo Rom. Pontifice cognoscantur, & terminentur.

711. Nomine Episcopi hic veniunt Episcopi titulares, item Episcopi electi, & à Sede Apostolica approbati, licet non jam consecrati; minime si sint solum electi.

712. Pariter Sedi Apostolicae sunt denunciandi Nuncii, seu Legati Sedis Apostolicae, ejusque Officiales. Illi autem dicuntur Legati, Ministri, seu Officiales Sedis Apostolicae, qui ad negotia ejusdem Sedis destinati sunt, minime, qui ad causas particulares quotidie à Sede Apostolica mittuntur. Quia illi non negotia Sedis Apostolicae, sed personarum particularium tractant, licet auctoritate Sedis.

Nec obstat, quod Inquisitores habeant à Summo Pontifice delegationem specialiter contra omnes; quia sub delegatione procedendi contra quascumque

que personas cuiuscumque dignitatis, & quibusvis generalibus verbis non comprehenduntur Episcopi, nisi expressè, & specialiter de Episcopis in commisso facta fuerit mentio. Ita Leander cit.

QUÆRES X:

713. Inquisitor sollicitus cui sit denunciandus? Regna, & Emerytus apud Leandrum cit. q. 51. qui tenent, Inquisitores numerari inter Delegatos Sedis Apostolicæ, & ejus Officiales, consequenter docent, esse denunciandos Sanctæ Sedi.

Simancas vero, qui tenet, esse Subdelegatos, & Commissarios Inquisitoris Generalis, docet, esse Inquisitori Generali, seu Supremo Tribunali Inquisitionis denunciandos.

QUÆRES XI:

714. An Generales Ordinum sine denunciandi Inquisitoribus, & à quo puniendi?

Resp. esse denunciandos Inquisitoribus, ut patet ex verbis Bullæ Greg. Regulares cuiuscumque dignitatis, & præminentia, aut quovis privilegio muniti existant.

715. Quantum ad punitionem verò, Bord. in Sacro Trib. cap. 27. num. 47. apud Dianam p. 4. tract. 8. ref. 23. uterque Rodr. Penna, & Nav. volunt, quod, denunciatio accepta, non possint ulterius procedere contra Generales, sed debeant Sedem Apostolicam monere, ut decernat, quid agendum. Id colligitur ex cap. Inquisitores 16. in 6.

Si tamen Inquisitores ipsi, Episcopi, vel alios superiores Prælatos severim, vel invenerim circa crimen hæresis commissi, aut eos de hoc diffamatos existere, vel suspectos, id tenebuntur Sedi Apostolicæ denunciare.

716. Resp. posse Inquisitores contra Generales procedere. Diana cit. & Freitas, non quia præfatum caput Inquisitores solum excipiat Episcopos, ut dicitur Diana, & Freitas; sed primò, quia Greg. XV. postquam in verbis, num. 573. relatis comprehendit Generales, ut concedit ipse Bord. cap. 23. num. 113. de iisdem sub eadem generalitate, & specialitate loquendo, concludit: In Officio S. Inquisitionis severissime, ut infra, puniatur.

717. Secundò, quia Urb. VIII. in Bulla Cum scicut accepimus, die 5. Novembris 1631. decrevit, & voluit, ut omnes Constitutiones hætenus editæ, & in posterum edendæ in materia S. Officii omnium Religionum Professores omnino comprehendant, perinde ac si præfati, & alii quantumlibet privilegiati in eis nominatim expressi fuissent, &c. nisi in edendis Constitutionibus huiusmodi specialiter, & expressè excipiatur, etiam si ipsi privilegiati forent magis speciali nota, & expressione digni. Ad cuius effectum facit derogatio omnium gratiarum, & privilegiorum in contrarium cum quibuscumque clausulis, & decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacunque causa concessorum, etiam si in corpore juris clausa sint.

718. Hinc fit, quod Superiores Generales Religionum, nedum non possunt se immiscere in causis fuorum Religiosorum circa delicta hæresis, aut sus-

pecta de hæresi, ut habetur in Decr. Pauli V. & Alexand. VII. n. 249. sed debeant suos Religiosos remittere ad Sanctum Tribunal; verum etiam ipsi quoad præmissa delicta subdantur huic Tribunali.

719. His non obstantibus, ait Diana, non debere Inquisitores procedere contra Generales, sed debere certiore facere Supremum Tribunal.

QUÆRES XII:

720. Intra quem terminum faciendæ est denunciatio, & danda absolutio?

Terminus pro denunciatione faciendæ pendet ab Edicto Inquisitorum, in Edicto Inquis. Hispan. apud Leandrum q. 53. solent assignari sex, aut septem dies, num. 706. & 445.

721. Dies autem termini non computatur in termino. Diana part. 4. tr. 5. ref. 41. Uade si Edictum publicetur die Dominica, hora 16. quia una dies constat ex 24. horis, incipit die sequenti, eadem hora, & terminat sequenti Dominica, eadem hora.

722. Quæ ignoravit publicatione Edicti tenetur denunciare non statim, ac sciat, sed intra eundem terminum computandum post diem notitiæ, quia non debet esse pejoris conditionis, ac illa, quæ habuit noticiam. Leand. tr. 3. de Penit. disp. 13.

723. Quæ sunt conformia Edicto Inquis. Regni Siciliae, ubi habentur hæc verba: Abbiate da venire personalmente, e comparire innanzi di Noi, per dirlo, e manifestarlo fra termine di giorni sette primi seguenti, dopo che queste nostre lettere saranno lette, e publicate, di di quivle averete notitia in qualsivoglia modo, che sia.

724. Idem tenet Leander cit. q. 56. cum Trull. de ea, quæ scivit, sed fuit impedita, cessante impedimento. Probabilius tamen dico, quod teneatur statim. Diana p. 4. tr. 5. ref. 26. quia cum sciverit, jam habuit tempus providendi, & consulendi. Vide n. 48.

725. Imò si intra terminum impedimentum futurum prævideat, puta quia debet iter agere ante terminum, eam non libero à mortali, si non denunciaverit, antequam spiret terminus. Sicut non liberatur à mortali, si intra tempus, quo obligat præceptum confessionis, & communionis annuæ, prævideat impedimentum futurum, v. gr. inopia Confessarii, &c. & non proveniat. Diana p. 4. tr. 5. ref. 29. contra Joannem Sancium.

726. Terminum autem culpabiliter elapso, incidit in excommunicationem majorem lata sententia, à qua à nullo potest absolvi, nisi facta denunciatione, sicut fur absolvi non potest, nisi facta restitutione, & ulterius semper in ea perdurat peccatum mortale, & obligatio denunciandi.

727. Confessarius prudens non debet mulierem absolvere, antequam denunciaverit, sed debet prius eam remittere ad denunciandum. Idem, & in aliis delictis dicendum est de viro, præsertim si sit homo ordinarius; quia huiusmodi absoluti haud amplius curant denunciare. Diana p. 1. tract. 4. ref. 27. contra Bord. n. 86. qui ait, absolvendum esse, si promittat denun-

cia-

ciare; quia sic est satis disposita ad Sacramentum.

728. Hoc autem limitat Diana p. 1. tr. 4. ref. 27. cum Zanardo, Rodr. & aliis, nisi urgeat necessitas communionis, & persona sit timorata conscientia, ac promittat quantum primum denunciare; & universatim, si adlit causa, ob quam prudens Confessarius judicet denunciationem esse defendendam. Idem ait Nav. apud Dianam cit. de hæretico.

QUÆRES XIII:

729. Mulier incidit in excommunicationem ob denunciationem omisam, modo penitens accit ad Confessarium, promittens se statim denunciaturam. An possit absolvi?

Lucus, apud Dianam p. 4. tract. 5. ref. 35. affirmat, posse absolvi virtute Bullæ Cruciatæ, aut privilegiorum à Religiosis. 1. Quia retinet rem alienam potest bis, aut ter absolvi cum proposito restituendi. 2. Quia contumax, eo quod non vult ad iudicium venire, potest absolvi, si det cautionem de stando iudicio. Ita qui promittit denunciare.

Resp. cum Diana cit. negative, ratione censura, nam non potest quis à peccatis absolvi, nisi prius à censuris; & quia à censuris non potest quis absolvi per Bullam, nisi satisfacta parte, sequitur, quod talis mulier non potest absolvi, nisi prius denunciaverit, idque præsertim in causis S. Officii, utpotè quæ spectant ad fidem.

QUÆRES XIV:

730. Mulier ista, quæ incidit in excommunicationem ob omisam denunciationem, an facta denunciatione, possit à quolibet Confessario absolvi?

Affirmat Lupus p. 1. lib. 5. art. 3. diff. unic. p. 90. quia reservatio hujus censurae tandiù perseverat, tandiù perseverat onus denunciandi; unde expirat, satisfacta parte, aut mortuo denunciando: id suadet ex verbis Edicti, quæ esse solent.

E dalla detta scomunica, è pena nelle quali incorreranno i disobediienti, nissuno, se non da Noi, & dal Supremo Tribunale del Santo Officio potrà essere assoluto, se prima non averà soddisfatto al Santo Officio.

Resp. non posse à quolibet Confessario absolvi, bene verò virtute Bullæ, aut à Regularibus virtute privilegiorum. Bord. in Sacro Trib. cap. 30. num. 19. Ratio primi, quia talis excommunicatio est reservata Pontifici, & Inquisitoribus, præsertim ex Decret. die 3. Januarii 1623. relato num. 706.

Præterea frustranea esset reservatio, si cessante onere denunciandi, censura jam incurra posset à quolibet, etiam non privilegiato absolvi; nam non haberet effectum ante satisfactionem; quia seclusa reservatione, censura imposita ad satisfactionem non potest ante satisfactionem partis nolentis, absolvi, sicut potens, & nolens restituere, absolvi non potens, quamvis furtum non sit reservatum, nec effectum habere possit; quia tunc cessaret. Verba autem Edicti solum dicunt, quòd non possit absolvi, nisi prius denunciaverit; minimè, quòd, facta denunciatione, absolvi possit à quolibet Confessario, etiam non privilegiato.

Ratio secundi, quia satisfacta parte, Regulares

habent privilegia absolvendi ab omnibus reservatis Pontifici, exceptis contentis in Bulla Cæneæ, & multò magis ceteri Confessarii virtute Bullæ Cruciatæ.

731. Hinc rectè advertit Diana cit. ref. 20. tam in hoc, quam in cæteris casibus Inquisitionis, eos, qui neglexerunt denunciare, quando postea denunciaverint, non teneri Inquisitoribus negligentiam fateri, nec cum eis pro absolutione conteri, quia juri possunt, à Regularibus, & à cæteris virtute Bullæ absolvi. Quod valde faciliat negligentes ad denunciandum; & debent ad hoc Confessarii attendere, ne penitentes huiusmodi deterreat, & à denunciando impediant.

Ex his colliges, mulierem sollicitam, extincto onere denunciationis, quatenus v. gr. Confessarius est mortuus, aut ex alio capite, posse, ut supra, absolvi. Leander tract. 5. de Penit. disp. 13. q. 53.

QUÆRES XV:

732. Mulier incidit in excommunicationem ob omisam denunciationem, modo ei supervenit legitimum impedimentum. An possit absolvi?

Resp. posse absolvi à privilegiatis, vel virtute Bullæ, ad reincidentiam, & cum promissione denunciandi, impedimento cessante, quo quidem cessante non denunciando, denudò reincidit in culpam, & censuram reservatam. Ratio est; quia durante legitimo impedimento, non obligat satisfactio partis; non tamen extinguitur, sed suspenditur, nisi adlit caput, quo extinguitur obligatio denunciandi. Suedat à pari de eo, qui fuit in culpa ad restituendum, & postea evadit impotens, qui potest absolvi, durante impotentia.

Durante autem impedimento, v. gr. infirmitate, &c. non tenetur quis denunciare per alium, v. gr. per Confessarium, quia obligatio denunciandi est personalis. Imò, si quando primò habuit notitiam sollicitationis, aderat impedimentum, tunc, eo durante, potest à quolibet simplici Confessario absolvi, cum promissione, ut denunciaverit, impedimento cessante; quia tunc, nec habetur reservatio, nec delictum, non denunciando.

733. Prudens autem Confessarius non debet huiusmodi mulierem absolvere, si impedimentum est duraturum per paucos dies, in quibus non urgeat necessitas communionis, ut in num. 727.

CAPUT XIII

DE 12. ET ULTIMA CLAUSULA.

734. Quod si hoc officium prætermiserint, vel penitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitos, seu tractantes, ut supra; eisdem locorum Ordinariis, & Inquisitoribus illos pro modo culpe punire non negligant.

735. Confessarii non momentes suos penitentes de onere denunciationis, aut docentes, non teneri, peccant mortaliter, ut patet per illam particulam

Mandantes, in 11. clausula appositam, num. 678. & ulterius incurrit penas ab Alex. VII. & Paulo V. fulminatas, in num. 249. & 260. relatas.

736. Et idem dico de cunctis Superioribus, & Religiosis, qui suos penitentes, aut consilium petentes non movent de onere denunciationis, aut eos docent, non teneri in delictis Sancti Officii, etiam de levi suspectis, ut constat ex ipsis decretis cit.

QUÆRES:

737. Confessarius, postquam sollicitavit mulierem, sciens, eam denunciatam, ut id evaderet, fecit, ut constiteret cum alio Confessario, fingens, eum habere auctoritatem ex Sancto Officio, sicque haud amplius obligari; hinc ille alius Confessarius ex conducto idem fingens, excepit mulieris confessionem. Queritur, quomodo se gerere debeat tertius Confessarius: cum hac muliere?

Resp. debere eam monere ad denunciandum Confessarium sollicitantem, manifestando Tribunali utriusque Confessarii dolum. Sequitur ex Decr. de n.249.

CAPUT XIV.
DE QUALITATE DELICTI SOLICITATIONIS.

QUÆRES:

738. An Confessarius sollicitans sit suspectus de heresi?
739. Confessarius in actu confessionis sollicitans ad inhonesta est suspectus de heresi; quia specialiter adversatur fini principali Sacramenti Penitentiae, qui est peccatorum remissio, dando (ut ait Greg.) pro medicina venenum, & sic videtur, quod male sentiat de Sacramento Penitentiae.

740. Eadem ratione Confessarius, qui in confessione sollicitaret ad alia crimina, esset suspectus de heresi. Alberg. in *Man. Qualif. pag. 136.* Penna, Freitas, & alii contra Alderete, Port. & Bonac. apud ipsum. Non incurret tamen penas à Pontificibus contra sollicitantes fulminatas, quia hæc penæ sunt contra sollicitantes ad inhonesta fulminatæ: ob specialem turpitudinem sollicitationis, quatenus sollicitatio ad inhonesta est valde periculosa, & confessionem maximè odiosam reddens. Diana p.4. *tratt. 5. ref. 17.* Nec eas incurrit sollicitans ad inhonesta in aliis Sacramentis; quia cum talis sollicitatio in aliis Sacramentis non sit ita facilis, Pontifices eas inflixerunt contra sollicitantes in confessione. Diana cit. *ref. 16.*

741. Est suspectus de fide Confessarius, si sollicitet immediatè antè, vel post; quia sic sollicitans confertur in confessione sollicitare. Diana cit. *ref. 50.* contra Soufam, qui dicit, eum non esse de fide suspectum; quia dum in actu confessionis non sollicitavit, sed sollicitationem distulit, aut anticipavit, dat intelligere, se noluisse integritatem confessionis commaculare.

742. Similiter est suspectus de fide Confessarius sollicitans ex occasione, aut prætextu confessionis,

vel simulando confessionem; quia Sacramento utitur, eique injuriam infert. Diana cit. *ref. 50.*

743. Confessarius sollicitans in Confessionario, non ex prætextu, nec occasione confessionis, nec simulando confessionem, est suspectus, & abjurare debet. Diana p.4. cit. *ref. 50. & p.10. tr. 14. ref. 51.* contra Carenam quia Greg. XV. postquam recensuit septem capita sollicitationis, inter quæ est sollicitatio in Confessionario absque occasione, aut prætextu confessionis, ut in num. 612. immediatè sequitur, & injungit Inquisitoribus, ut super his contra præditos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei, &c. inquirent, & procedant. His accedit praxis, tam Inquisitionis Romanæ, ex Diana cit. quàm Inquis. Hispaniæ, ex Alberg. cit. p.233. num. 6. quia hujusmodi Confessarii habentur suspecti de fide, & abjurant, quoniam injuria loci redundat in Sacramentum, cujus locus est Tribunal. Dantur igitur suspecti suspitione ex præsumptione juris de jure. Vide n. 692. Car. na verò negat, esse suspectum; quia ex sola ratione loci nulla suspicio oritur.

744. In casibus, in quibus Confessarius sollicitans est suspectus, esse suspectum de vehementi in praxi servat Inquisitio Rom. De levi Inquis. Hispan.

745. Mulier tamen Confessarium sollicitans non est suspecta de heresi, 1. quia non accedit ad Confessarium animo se accusandi, & Sacramentum Penitentiae suscipiendi; addoque cum nullum sit Sacramenti initium, nullus est Sacramenti abusus: ut patet de illo, qui ad Confessarium callide accedit animo eum inducendi ad compositionem, & furtum. 2. Quia nullum est jus, quod eam præsumat suspectam. Dispar autem est ratio de Sacerdote penitentem sollicitante, quia penitens, vel supponitur accedere animo confitendi, & Sacramentum Penitentiae suscipiendi, & sic accedit pro Sacramentali confessione, ac proinde Confessarius, sollicitando ad inhonesta, aut ad alia crimina, vel in aliis Sacramentis, dicitur Sacramento abuti, & inde suspectus de heresi, quamvis penitens sollicitationi consentiat, & Sacramentum minimè perficiatur. Vide num. 584.

Et tunc Confessarius sollicitans ad inhonesta est suspectus de heresi, nedum ex vi Bullæ Greg. XV. verum etiam independentè ab illa, sicut est suspectus sollicitans ad alia crimina ob abutium Sacramenti.

Vel sollicitatio supponitur facta à Confessario in Confessionario extra occasionem confessionis, vel quando Confessarius in confessione à muliere sollicitatus consentit. Et tunc adhuc est disparitas, quia licet in neutro casu habeatur initium Sacramenti, nec Sacramentum, cum pariter mulier non accedat animo se accusandi; in priori tamen casu habetur suspicio ex præsumptione juris de jure, per recensita verba Greg. XV. non sic in posteriori, quia nullum habetur jus, quod mulierem sollicitantem suspectam præsumat. Vide num. 692. & 584.

FINIS TOMI SECUNDI.

TO-



TOMUS TERTIUS,
COMPLECTENS
EXAMEN ORDINANDORUM,
PRÆDICATORUM, ET MISSIONARIORUM,
UBI AGITUR DE SACRAMENTO ORDINIS, ET DE SACROSANCTO
MISSÆ SACRIFICIO; & insuper apræ, atque expeditæ regulæ ad Apostolicum Sacræ
Concionis, & Missionis Ministerium ritè exercendum traduntur.
ACCESSIT NOVISSIME
EXAMEN CONCILIORUM,
ET EXAMEN RITUUM.

PARS PRIMA.

EXAMEN ORDINANDORUM.

CAPUT I.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Quid, & quotuplex sit ordo.

1. Ordo est, signaculum quoddam in quo spiritualis potestas traditur ordinato ad inhonesta missæ sacrificium, & Eucharistiam perficiendam.

2. Ordines sunt septem: Ostiarius, Lecturatus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.

3. Omnes Ordines sunt res sacræ: Primi tamen quatuor dicuntur minores, & non sacri; ultimi verò tres dicuntur majores, & sacri. Ratio differentie est multiplex. 1. Quia ultimi tres immediatè ordinant homines ad sacrificium Missæ, & Eucharistiam conficiendam. 2. Quia in Ecclesia Latina habent annexum votum solenne castitatis, ita ut impediant, & dirimant matrimonium. 3. Quia obligant ad Divinum Officium recitandum. 4. Quia majores non possunt suscipi plures eodem die, sed unus: nec Subdiaconatus simul cum minoribus: neque suscipi possunt nisi sex Sabbatis: videlicet, quatuor anni

temporibus, Sabbato ante Dominicam Passionis, quod dicitur *Sientes*, & Sabbato Sancto, nisi adfuit dispensatio Papæ; minores verò suscipi possunt omnes quatuor eadem die, & non tantum in recentibus sex Sabbatis, sed etiam qualibet die Dominicæ vel festo de præcepto: imò ex consuetudine in die Veneris ante dicta sex Sabbata, vel in feria quarta Quatuor Temporum. Vide num. 96. Demum, quia majoribus initiati possunt solemniter, & ex officio sacra vasa nuda manu tangere, non ita minoribus initiati, nisi ex commissione, & necessitate.

Non peccant autem aliquo Ordine minori, aut prima Tonfura initiati nuda manu tangentes sacra vasa, in quibus non sit Eucharistia. Item nec laici, aut femina peccant mortaliter, nisi adfuit contemptus, sed venialiter; imò neque venialiter, si adfuit justa causa, aut necessitas. Vasa autem sacra, quæ Eucharistiam continent, tangi non possunt sine peccato mortali nisi à Sacerdotibus, & Sacerdote deficiente, à Diacono.

4. Episcopatus est Ordo; nam est spiritualis potestas ordinandi Sacerdotes, & Episcopos; conficiendi Sacramentum Confirmationis, Chrisma, Oleum sanctum, &c. non est autem Ordo diversus à Sacerdotio,

Vvv 2

sed